

nisi pars causae iam absoluta digressionis ansam praebebit: veluti post narratam causam, quo ad secuturam argumentationem auditor reddatur alacrior, aut post probationem, siue omnino post locos inamoeniores, quo taedium subtilitatis discutiatur; aut nisi
 560 res ipsa locos huiusmodi suapte sponte offerat, qui inuitent ad diutius immorandum.

SEPTIMA RATIO

Septima locupletandi ratio sumitur ab epithetis. Diomedes epitheton facit speciem antonomasiae finitque hunc in modum: *Epitheton est praeposita distinctio proprio nomini aut ornandi aut*
 565 *destruendi aut indicandi causa: ornandi, vt: diua Camilla; destruendi, vt: scelerumque inuentor Vlysses; indicandi, vt: Larissaeus Achilles.* Sumuntur epitheta ab animo, vt: 'Plato philosophorum sapientissimus'; a corpore: 'Thersites Graecorum omnium deformissimus'; a bonis externis, neque id simpliciter, nimirum ab omnibus partibus bonorum quae proficiscuntur a fortuna: a genere, vt: 'Moecenas generosissimus'; ab opibus: 'Croesus regum opulentissimus'; a forma: 'Nireus formosissimus'; a viribus: 'Milo athleta fortissimus'; a patria: 'Vlysses Ithacensis';
 570 ab actu: 'monstrorum domitor Hercules'; ab euentu: 'Bis capti Phryges'. In summa, ab omnibus fortunae commodis aut incommodis. Neque refert an haec epitheta sint adiectiua nomina necne, modo quocunque pacto proprietas quaedam attribuat, non personis tantum, verum etiam rebus, vt: 'praeceps iuuenta',
 580 'praeceps et amens consultor amor', 'esca malorum voluptas', 'morosa ac difficilis senecta', 'vitiourum expultrix philosophia', 'humanae vitae speculum comoedia', 'vitae magistra historia'. In poematis licebit naturalibus epithetis vti, vt: 'candida nix', 'liquidi fontes', 'frigida nox', 'volubilis amnis', 'aureus sol'. In oratione
 585 prosa non oportebit adhiberi, nisi emphasim quandam habeant, et ad rem propositam pertineant, vt: 'Non impetrabis causam tam iniquam ab Aristide iustissimo'; et: 'Coram Catone seuerissimo morum censore audes agere Floralia?'.

Id potissimum fiet in citationibus exemplorum aut sententiarum:
 590 'Aristarchus eruditissimus, et idem diligentissimus'; 'Cicero elo-
 quentiae princeps'; 'Plato certissimus autor'.

OCTAVA RATIO

Octava dilatandi ratio sumitur a circumstantiis, quas Graeci peri-
 stases vocant. Eae partim sunt rerum, vt causa, locus, occasio, in-
 595 strumentum, tempus, modus, atque id genus aliae; partim perso-
 narum, vt natio, patria, sexus, aetas, educatio et disciplina, habi-
 tus corporis, fortuna, conditio, animi natura, studium, anteacta,
 commotio, consilium, nomen. Conducit autem ad multa circum-
 stantiarum aptus ac tempestiuus vsus: primum ad amplificandum
 600 atque extenuandum, de quo mox paucis dicturi sumus; deinde ad
 euidenciam, de qua paulo ante diximus; praeterea ad confirmatio-
 nem et probabilitatem. Facit enim vt tota oratio densis ac crebris
 argumentis vndique differta sit et communita. Quae tametsi non
 explices quasque in aciem educas, tamen pugnant per sese cau-
 605 samque non mediocriter adiuuant; vt, quemadmodum, licet aliud
 agentem, tamen agnoscere liceat palaestricae aut musicae pe-
 ritum, ita vbiuis, ex huiusmodi circumstantiis commode suo loco
 admixtis, rhetorem intelligere possis. Quod quoniam per omnem
 orationem fusum est, exemplo breui ostendi non potest.

610 NONA DILATANDI RATIO

Nona dilatandi ratio constat amplificatione. Eius complures for-
 mae referuntur a Fabio. Nos eas breuiter attingemus quae ad
 praesens pertineant institutum. Prima amplificandi ratio constat
 incremento, quoties gradibus aliquot peruenitur, *non modo ad*
 615 *summum, sed interim quodammodo supra summum.*

LB 84 Huius exemplum est apud M. Tullium in quinta in Verrem ac-
 tione: *Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare,*
parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere? Verbo satis
 620 *digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Ad hoc genus*
pertinet et illud, cum congestis ordine quodam circumstantiis in
contextu et cursu semper aliquid priore maius insequitur. Huius
 exemplum est in secunda Ciceronis Philippica de vomitu Anto-
 nii: *O rem non visu modo foedam, sed etiam auditu. Si inter coe-*
 625 *nam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non*
turpe duceret? In coetu vero populi Romani negocium publicum
gerens magister equitum, cui ructare turpe esset, is frustis escu-
lantis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal im-
pleuit. Hic singulae voces incrementum habent. Etenim *per se*
deforme fuerat, vel non in coetu, vomere, in coetu etiam non po-
 630 *puli, <populi> etiam, non Romani, vel si nullum negocium gere-*
ret, vel si non publicum, vel si non magister equitum. Haec si
 quis diuidat ac circa singulos gradus immoretur, augebit quidem
 orationis copiam, tamen minus efficaciter amplificabit. Huic
 635 contraria est comparatio. Nam vt incremento ad superiora tendi-
 tur, ita comparatio a minoribus incrementum petit. Fit autem
 comparatio vel fictione vel exempli collatione. Fictione, quam
ὑπόθεσις vocant, vt in prima parte exempli quod modo retulimus
 ex Cicerone.

V.

ne

mi

Qu

Se
aur
meten
mi
cor
pui

Fingit enim hoc inter coenam accidisse priuato. Eiusdem est il-
 lud in Catilinam: *Serui mehercle mei, si me isto pacto metuerent,*
 640 *vt te metuunt omnes <ciues> tui, domum meam relinquendam*
putarem. Collatione exempli, quoties proposito velut simili e-
 xemplo efficitur vt id quod exaggeramus aut proximum illi, aut
 par, aut maius etiam videatur. Velut Cicero *pro Cluentio cum ex-*
 645 *posuisset Milesiam quandam a secundis haeredibus pro abortu*
pecuniam accepisse: Quanto est, inquit, Opianicus in eadem in-
iuria, maiore supplicio dignus? Siquidem illa, cum suo corpori
vim attulisset, seipsam cruciauit. Hic autem idem illud effecit
per alieni corporis cruciatum. In hoc genere non solum *tota to-*
 650 *tis, sed etiam partes partibus comparantur, sicut hoc loco pro*
Milone: An vero vir amplissimus Scipio Tyberium Gracchum
mediocriter labefactantem rempublicam priuatus interfecit, Ca-
tilinam, orbem terrae caede atque incendio vastare cupientem,
 655 *nos consules perferemus? Hic et Catilina Graccho, et status rei-*
publicae orbi terrarum, et mediocris labefactatio caedi et incen-
diis et vastationi, et priuatus consulibus comparatur. Quae si
quis dilatare velit, plenos per singula locos habeat. Amplifica-
 mus et ratiocinatione, cum aliud crescit et aliud augetur, hoc mo-
 do: *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius cor-*
 660 *poris firmitate, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, vt tibi*
neesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie.

In
stC
si
qu
di

In

in

me

por

Colligitur enim quantum vini biberit Antonius, quod illa totius corporis gladiatoria firmitas non quiuerit ferre et concoquere. Ad hanc formam referendum est, quoties *res atrocissimas quasque*
 665 *in summam ipsi extulimus inuidiam, eleuamus consulto, quo grauiora videantur quae sequutura sunt.* Quod genus est illud Ciceronis: *Leuia sunt haec in hoc reo. Metum virgarum nauarchus nobilissimae ciuitatis precio redemit. Humanum est. Atrocissimum quiddam expectetur necesse est, cui haec, quae sunt*
 670 *atrocita, comparata, humana atque vsitata videantur.* Amplificamus et congerie verborum ac sententiarum idem significantium, quae ratio finitima est figurae *συναθροισμῶ*, de qua prius dictum est. Vtitur hac M. Tullius in actione pro Ligario: *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat, qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens, oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? quid optabas?* Hic velut aceruo creuit oratio. Idem fit interim *omnibus altius atque altius insurgentibus*, vt in hoc exemplo: *Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors*
 680 *terrorque sociorum et ciuium Romanorum, lictor Sextius.* Amplificamus etiam quasi correctione quadam, vt Cicero in Verrem: *Non enim furem sed raptorem, non adulterum sed expugnatorem pudicitiae, non sacrilegum sed hostem*

V
gl
de

Qi

È
qugn
θρ
TuQu
so
corl
c

/

con

I
a

685 *sacrorum religionumque, non sicarium sed crudelissimum carni-*
ficem ciuium sociorumque in vestrum iudicium adduximus.

Totidem autem sunt minuendi modi, quot sunt amplificandi. Per-
 tinent ad orationis copiam et illi vulgares amplificandi modi,
 cum vel aduerbiis, vel nominibus, vel aliis partibus appositis am-
 LB 85 plificamus, vel in laudem, vel in vituperium: 'Maiorem in mo-
 690 dum me Cicero delectat'; 'Dici non potest quam tibi faueat so-
 cer'; 'Verbis consequi nequeam quam me delectet Cicero'. Ve-
 rum de his augendi rationibus priore libro diximus. Notus et vsi-
 tatus est et ille modus amplificandi, cum speciem augemus geni-
 eri collatam, vt: 'Cum omnes disciplinae liberales plurimum ho-
 695 mini conciliant vel ornamenti vel commodi, tum in primis elo-
 quentia'. Quanquam hanc quoque rationem superius attigimus.

DECIMA DILATANDI RATIO

Decima dilatandi ratio inde sumitur, vt quam maximum proposi-
 tionum numerum reperiamus. Est autem propositio rhetorica, cui
 700 probandae adhibentur argumenta. Porro quemadmodum inue-
 nienda sit propositio, Fabius negat arte comprehendere posse, cae-
 terum ingenio atque vsu constat ea facultas. Atque inde fit, vt
cum plures eadem didicerint, generibus argumentorum similibus
vtantur, alius tamen alio plura quibus vtatur inueniat.

705 Sumuntur autem propositiones partim ex his quae sunt vulgaria,
 partim ex his quae sunt propria causae. Exemplum sit hoc, quod
 placuit Quintiliano: *Cum Thebas euertisset Alexander, inuenit*
tabulas, quibus centum talenta mutuo Thessalis dedisse Theba-
nos continebatur. Eas tabulas, quod esset vsus commilitio Thes-
 710 *salorum, donauit his vltro. Postea,*